



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

3. [i.e. 5.] Dies Decemb. Cui esse, est semper, Deus est. Ambrosius lib. 3.
de fide cap. 7.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Decemb.

Tessera.

971

Cum igitur Deus tecum esse velit, quia amat te: debes, ut ejus respondeas amori, malle potius totam aeternitate carere omnibus bonis extra Deum; quam vel uno momento carere amore ejus, sive ad punctum temporis non amare eum: quia omne tuum bonum est amare eum, & amari ab eo. Modus porò amandi eum, sit sine modo. Parùm proderit amasse, nisi pergas amare usque ad finem. Respondeat principio finis: ama semper, quem coepisti amare à principio; quia, ut monet Poëta:

Principium lauda, quod consequitur bona cauda.

3. DIES DECEMB.

Cui esse, est semper, Deus est. *Ambrosius lib. 3. de fide cap. 7.*

Deus a I.
mandus,
quia est
noster
Deus.

Q

Uisquis timet semper esse miser, & ambit semper esse foelix; illum, dum vivit, semper amet, cui esse, est semper.

De cujus continuo esse, eruditè D. Hilarius: (a) *Pater infinitus est; quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur in loco; semper ante ævum, quia tempus ab eo est. Curresensu, si quid ei putas ultimum esse; quia cum semper intendas, semper est, quò intendas. Iterùm revolve tempora, esse semper invenies; ut cum calculi numerus in sermone defecerit, Deo tamen semper esse non deficiet. Quis non amet eum, quem ubique, quia est in omni loco; & semper, quia est omni tempore, invenies amatum; imò & amantem, ne dicam*

infini-

(a) *L. 2. de Trinit.*

infinities amabilem. Si stimulus est ad amandum Bonitas, tam bonus est non modò intra se, in se, sed extra se; in te, ut solus suus, qualis æternum fuit, esse noluerit; sed & tuus esse voluerit. O quanta dignitas! sed & quanta in dignitate felicitas; posse verè, sine fucò; sincerè, sine hyperbole, dicere, Deus meus; posse uno momento duntaxat dicere, Deus, est Deus meus; digniùs est, quàm si omnia honestissima nomina, epitheta, & tituli, & dignitates, & honores, & omnia honorum insignia in unum conglobata; quibus omnes omnium sæculorum Reges, & Cæsares gloriati sunt, in te unum congerentur.

II. (a) Fuit homo quidam insignitè reprobus; qui, ut uno die posset frui & nomine & fortunâ Imperatoris, paratum se dixit subire totâ æternitate, tartari supplicia omnia: dignissimus, ob tam indigna verba, tartari pœnâ. Pluris tibi debet esse ad punctum temporis, posse dicere, Deus meus; quàm totâ æternitate non modò dici, sed esse; non modò terræ, sed & cœli totius, Monarcham. Sed Deus infinitis titulis est tuus; est tuus, & voluit esse tuus: quia creavit: ideò enim te creavit; ut esset Deus tuus, & tu illius: itaque, cum te suum fecit, & se tuum effecit: tam igitur tuus est Pater, quàm tu illius filius. Nonne hîc reperisti locupletem venam auri; quâ evadas non modò dives, sed divitum primus? Quàm enim dives est amor, cuius proprius Deus est. Non suffecit Deo, ratio illa infinitæ erga ipsum obligationis, quòd tuus esse voluerit creando; voluit accedere & aliam paris obligationis, dum te redemit. Non tantum

(a) *Binet. in flor. psalm.*

tantum dedit esse, ut Creator: sed bene; imò si velis, æternum beatè esse, ut Redemptor. Dedit se, ut reciperet te. Imò, se in cibum obtulit, ut te in se transferret; ut non tantum esse tuus simpliciter, sed totus tuus, & tu totus ipse. Possesne aliquid vel animo fingere, quod ulterius; non dico, quod sperare, sed quod vel optare auderes? Voluit Deus, suis in te congeatis beneficiis ostendere, plus se posse in bonum tuum facere, quam tu etiam fingere. Deus, & Deus tuus; qui jam, dum vivis, est tuus, in tempore per gratiam; vult tuus semper esse per gloriam: vult tuus esse semper; cui esse, est semper. Quid hinc aliud eructet cor tuum, quam illud illius viri, qui fuit secundum cor Dei: *Semper laus ejus in ore meo?* Si non possit semper ejus amor esse in corde, sit saltem laus in ore.

III. An non dignus est, quem ames ex toto corde; cum sit Deus tuus, & totus tuus? Imò, tot titulis est tuus, quot titulis tu es ipse: nec enim potest esse tuus, nisi tu sis ipse. Tuus est, quia ex nihilo te creavit; sic enim est Pater. Tuus est; quia jam tuo crimine perditum, utpotè perditissimæ vitæ, imò & indignitate peccati redactum ad nihilum, redemit te; Salvator enim est. Tuus est, & tu ipse; quia è statu ultimæ calamitatis, hoc est, peccati, te asseruit in statum gratiæ: ex reo gehennæ, fecit in heredem gloriæ, sic Justificator est, quod est præstabilius opus, quam illud, quod videtur operum maximum, creasse cælum, & terram. Deinde ulterius, tuus est, quia Corpore, & Sanguine suo pascit te; sic est cibus tuus. Tu, ut prodigus ille in lutulenta hora pascebaris siliquis porcorum: voluit te in sua mensa

mensa manducare panem Angelorum. Tuus est, quia in hæredem sui descripsit te : est enim Remunerator. Plus quàm satis fuisset, etiam pro aeternitate, ut sic loquar, laborum, permittere, ut per transfennam videres faciem ejus ; quam videre, salus est videntis. Voluit pro momento laboris ; is, cui est, est semper, & te quoque semper videre faciem Patris ejus. Quid jam superest, quàm ut ames eum ; ut Patrem, Filius ; ut Salvatorem, redemptus ; ut Sanctificatorem, justus ; ut Convivatorem, conviva ; ut Haeres, hæreditatem : ut, qui tuus est hîc in medio Babilonis ; sit semper tuus in illa, quæ sursum est, Jerusalem. Quocirca :

Ut tibi perpetuum sit lumen, dilige Numen.

6. DIES DECEMBRIS.

Deum videbis non alio bono bonum ; sed bonum omnibus boni. *S. Augustinus l. 8. de Trinit. c. 3.*

Deus solus I.
bonus, &
summum
Bonum.

DIvius Augustinus divinè Bonitatem differit, cum ab ea removet omne creatum bonum, sic ipse : *Nemas, nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & planicie camporum, & bonum pradium, amabile, ac fertile. Et bona domus, paribus membris disposita, & ampla, & lucida : & bona animalia, animata corpora : & bonus aer, modestus, & salubris : bonus cibus suavis, & aptus valetudini, & bona valetudo sine doloribus, & lassitudine, &c. Quid plura, & plura? bonum hoc, & bonum illud. Tolle hoc, & illud ; & vide ipsum bonum, si potes : ita Deum videbis, non alio bono bonum ; sed bonum omnibus boni. Quæritur*